

cutionis vitia inveniuntur, quae si omnes litterae inspiratae essent, Spiritui Sancto essent tribuenda. *g)* Si omnes litterae inspiratae essent, *textus originalis a versionibus* auctoritate multum differret; in illo enim omne, in istis non nisi argumentum esset inspiratum. Sed tali distinctioni obstat usus auctorum Novi Testamenti, qui Antiquum Testamentum secundum versionem Alexandrinam citant, hujusque verba pro Dei verbis habent; item obstat praxis ecclesiae, quae versionibus ut libris inspiratis utitur.

Ad 2. Inspiratio in res fidei et morum coarctata repugnat *a)* Concilio *Tridentino*, quod (sess. IV. de can. script.) expresse docet, S. Scripturam cum omnibus suis partibus esse inspiratam, partes certe non solum physicas, sed etiam logicas i. e. argumenti genera intelligens. *b)* Quum auctor S. Scripturae principalis sit Spiritus Sanctus, omnis error vel minimus, licet in rebus profanis commissus, *Spiritui Sancto imputandus esset*; quod manifeste absurdum esset et auctoritatem Scripturae etiam in rebus fidei et morum everteret. *c)* Argumentum religiosum ac morale ab argumento profano *internoscere saepe vix possibile est*. Multa enim tum profana, tum religiosa haberi possunt, vel revera ad utrumque genus pertinent. Alia certe profana cum rebus fidei et morum inseparabiliter conjunguntur. Quis ergo in hac re terminos erroris possibilis constituat? et quis discernere possit argumentum errori obnoxium atque infallibile?! *d)* Res quae in S. Scriptura profanae videntur plerumque *relationem habent ad religionem et mores* vel ad historiam revelationis, itaque mediate ad fidem et mores pertinent.

3. — *Ecclesia catholica* inter sententias contrarias medium quendam cursum tenet. Inspirationem litterarum non docet. Litterae ergo, interpunctiones, accentus, orthographia, lingua (lexicon, grammatica), voces, phrases, elocutio sunt auctorum humanorum vel amanuensium propria, et ad partem inspirationis humanam pertinent. Tantum in locis, ubi auctor sensum a Spiritu S. intentum non intelligens verbum idoneum non invenisset, credendum est Deum ipsas voces scriptori suppeditasse; e. g. in mysteriis, prophetiis et in sensu spirituali.

Inspiratio ergo plerumque et necessario *in argumentum* dumtaxat orationis pertinet, sed in *omnes argumenti partes* et physicas et logicas: in argumentum cujusvis pericopes, versus et vocis, sive religiosum ac morale sive profanum. Materia tamen *profana* (e. g. historica), quam auctor naturaliter nosse potuit,

vel Spiritus S. ex professo revelare non intendit, non nisi negative est inspirata.

Omnes ergo partes S. Scripturae sunt inspiratae, sed *non aequaliter*. Gradus et modus inspirationis pro diversitate argumenti diversus est. Sunt partes, in quibus inspiratio est *positiva* revelatio rerum ignotarum; tales sunt prophetiae, typi, loci de mysteriis (dogmatibus puris), de legibus divinis positivis et de factis a sensibus ac memoria hominum remotis (e. g. historia creationis) scripti. In aliis rebus e. g. historicis, auctori (experientia vel testimonio) cognitis, revelatio positiva esset superflua; ideo in his inspiratio est mere *negativa*, quae auctorem movet, regit et ab errore tuetur. Quis enim credat, Moysen historiam exitus vel legislationis Sinaïticae, quorum dux vel auctor fuerat, a Spiritu S. edoctum esse.

ARTICULUS SECUNDUS.

Absoluta Scripturae veracitas.

§. 73.

Vis et limites veracitatis.

1. — Fides humana et historica, quamvis maxima, quae haberi possit, nec absolutam doctrinae veritatem arguit, nec minores errores circa facta penitus excludit; errare enim humanum est, et ipsis scriptoribus diligentissimis nonnunquam accidit. Inspiratio autem divinam auctoritatem et absolutam dictorum veritatem Scripturae impertit, eamque quasi omniscientiae, infallibilitatis ac veracitatis divinae participem reddit. Consequens est, Scripturam in nulla re falsum dicere posse. Vim absolutae veracitatis declarant propositiones sequentes.

Propositio I. Sententia biblica hermeneutice vera etiam objective vera est. Quod igitur Scriptura certe continetur, certe verum est. Vice versa: *sententia objective falsa etiam hermeneutice falsa est.* Cavendum tamen est, ne quod supra rationem est, rationi contrarium et falsum habeatur. Hinc manat

Regula: Omnis interpretatio, quae concedit S. Scripturam errare vel mentiri, est falsa ac rejicienda. Si enim Scriptura falsum diceret, auctor ejus Deus falleret vel falleretur, quod absurdum est.

Propositio II. Sensus S. Scripturae est expressioni adaequatus; idest Scriptura non plus, nec minus dicit, quam Spiritus S. intendit, sed idipsum et perfecte verbis exprimit. (Adaequatio sensus biblici.)

Homines saepe cogitata verbis perfecte exprimere non valent, sed aliud, aut plus aut minus dicunt quam volunt, vel omnem vim, sensum implicitum atque consecretaria dictorum non perspicunt neque intendunt. Quapropter in eorum operibus saepe non tota vis dictorum auctori et intentioni est tribuenda. Idem auctoribus Bibliorum humanis accidere potuit; minime vero Spiritui Sancto, auctori principali. Ideo etsi non auctor humanus, tamen Spiritus S. aptissima cogitationum signa et plenum verborum sensum noverat et adhibuit; si autem scriptor perfectam expressionem non invenisset, hanc certe Spiritus S. ei suggessisset. Perfectio haec non linguae aut stili elegantiam significat, quae plerumque a scriptore dependet, sed intentionis et expressionis congruentiam.

Haec tamen adaequatio non nisi *ad textum originalem, expressionem completam et sensum relativum* pertinet.

a) *Ad textum originalem*, cujus expressiones solas Spiritus S. suggessit vel saltem moderatus est. Versio quo melior est, eo magis hanc perfectionem participat, immo in nonnullis locis plane assequi potest. Versio tamen omnibus locis perfecta, textui originali ac sensui Spiritus S. per omnia adaequata nunquam exstitit. b) *Ad expressionem completam*, idest usu loquendi, contextu et conditione loquentis constitutam; haec enim omnia conjuncta sensum auctoris intentum plene exprimunt. Ita etiam in tropis non sensus proprius est adaequatus, sed improprius. c) *Adaequatio relative intelligenda* est, scil. intuitu consilii Spiritus Sancti et lectorum praecipue primorum. Perfectio enim expressionis biblicae talis est ac tanta, quam operum divinorum generatim, id est fini optime accommodata. Procul dubio Spiritus S. potuit plus et melius dicere, sed non intendit, neque id opus fuit, neque lectoribus convenisset.

Haec adaequatio relativa *non excludit vitia expressionis* ab auctore humano commissa, et a Spiritu S. permissa, neque excludit *obscuritates et ambiguitates* a Spiritu S. praevisas, et ad certum finem — e. g. ut revelatio rerum profanarum evitaretur vel ut insufficientia Bibliorum demonstraretur — permissas vel intentas. Ideo etiam S. Scriptura male intelligi potest, non solum ob causas subjectivas (ignorantiam linguae vel conditionis historicae), sed etiam ob causas objectivas, scil. obscuritatem vel ambiguitatem. Ex his sequitur

Regula: In S. Scriptura sensus complete expressus et intentus cum omni sua vi, idest cum omnibus veritatibus implicitis et consecretariis accipiendus est.

2. — De limitibus veracitatis.

Propositio I. S. Scriptura, etsi absolute verax, tamen non omnes veritates proponit, nec eas, quas proponit, totas idest omni ex parte et penitus exponit. Nec de omnibus rebus (doctrinis et factis) agit, neque de iis, quas tractat, omnia dicit; sed multas veritates reticet, alias tantum imperfecte tradit.

Etenim a) Omnem et totam veritatem proponere impossibile est, quum multitudo atque ubertas tum veritatum abstractarum, tum factorum adjunctorumque sit infinita. b) Non est Dei consilium et finis Scripturae homines omnem veritatem docere. Scriptura propositum habet paedagogicum, cui prudens accommodatio sermonis ad lectores convenit. c) S. Scriptura, quum non sit unicus revelationis fons, multa etiam necessaria omittere potest; nam primi ejus lectores praesenti sermone auctorum, posterius autem traditione in ecclesia conservata uberius doceri queunt. d) Scriptura populari et saepe tropico utitur dicendi genere, quod imperfecte plerumque et tamquam in speculo veritatem ostendit.

Propositio II. Absoluta veracitas non postulat, ut auctor inspiratus nil, nisi veritatem dicat, idest, ut omne, quod in libro inspirato legitur, absolute verum sit. Multae enim sententiae humanae et alienae in Scriptura referuntur, manifeste falsae vel dubiae. Hac in re sequentes valent normae.

1. *Distinguenda est veritas relationis et argumenti, seu veritas historica et objectiva.* Relatio ipsa, sc. verba citata, sive inspirata, sive non, ab ea persona, eo tempore et loco, quibus adscribuntur, revera dicta esse, est absolute verum. Alioquin scriptor inspiratus verba illa referens, falsum diceret. At ex hoc solum, quod verba illa in S. Scriptura referuntur, non sequitur eorum argumentum esse verum vel a sacro scriptore approbatum.

2. Quod ad *veritatem relatorum objectivam* attinet, quum absoluta veritas inspiratione nitatur, *veritas argumenti non nisi ad ea pertinet, quae aliquo modo inspirationem participant*: ergo vel jam *in fonte* inspirata erant, vel a scriptore inspirato citante expresse vel implicite *approbantur*. Sola tamen citatio ea non facit absolute vera.

Itaque *regula* est: Quod Deus, angeli, legati divini, personae tempore sermonis inspiratae dicunt, vel sacri scriptores ut inspirati approbant: id absolute verum habendum est. Quod autem

ex fonte non inspirato citatur, et ab auctore ut inspirato non approbatur: id falsum esse potest, et saepe revera est. Specialiter

a) Quod *Deus* vel *angeli et legati divini* (prophetae, apostoli) *ut tales* dicunt, id certe divinum inspiratumve, ergo absolute verum est. De Deo et angelis nullum dubium. Legatorum divinorum verba auctoritate hujus muneris dicta ipse Deus comprobatur imo inspirat. Quae prophetae et apostoli *privata auctoritate* dicunt, ea non habent, nisi auctoritatem humanam. Ipsorum apostolorum dicta ante adventum Spiritus S. non sunt inspirata, nec semper vera; nam scimus Dominum eorum errores frequenter correxisse et castigasse.

b) Inspirata et absolute vera habenda sunt *dicta eorum hominum, qui licet legati divini proprie non fuerint*, tamen ea verba efferentes teste revelatione (Scriptura vel traditione) *Spiritu S. acti erant*. Ita benedictio Jacob morituri (Gen. c. 49.), verba Balaam (Num. cc. 23. et 24.), canticum Annae (I. Reg. 2, 1—10.), canticum Tobiae (c. 13.), sermo matris Machabaeorum (II. Mach. 7, 22. sqq.), salutatio Elisabeth (Luc. 1, 42. sqq.) et cantica in Novo Testamento: B. Mariae Virginis, Zachariae, Simeonis (Luc. 1, 46. sqq. 68. sqq. 2, 29. sqq. 34. sq.).

Notandum est, sanctitatem personae non esse certum veritatis dictorum criterium; creatura enim etiam sanctissima per se errare potest. Imo neque homo, qui Spiritu S. plenus dicitur, necessario inspiratus et absolute veridicus est. Potest enim plenitudo gratiae sanctificantis intelligi, quae inspirationem sermonis et absolutam veracitatem (quae sunt gratiae gratis datae) non complectitur. Ita nonnulli (Melchior Canus, Zapletal) S. Stephanum, etsi teste Scriptura Spiritu S. et gratia plenum (Act. 6, 3. 8.), tamen in sermone suo (imprimis Act. 7, 16. coll. Gen. 23, 8—18. 33, 19. 20. Jos. 24, 32.) errasse opinantur. Quamquam alii Stephanum ab errore vindicare conantur.

c) *Verba loquentis non inspirati* a sacro scriptore *relata et approbata absolute vera sunt*. Si plures scriptores sacri idem dictum humanum referunt, sufficit approbatio unius eorum. Si autem verba in ore dicentis non inspirata, a scriptore sacro primo referente non approbata, a scriptore sacro posteriore sub formula: *scriptum est, Scriptura dicit* etc. afferuntur: per hanc formulam sensu quo afferuntur approbata, inspirata et absolute vera censenda sunt. E. g. I. Cor. 3, 19. conf. Job. 5, 13.; Gal. 4, 30. cf. Gen. 21, 10.

d) *In dialogis*, e. g. libri Job, ea quae homines non inspirati dicunt, per se tantum *historice* sunt vera, non necessario objective; sed si ab auctore libri vel alio loco inspirato approbantur, absolute vera, et ubi approbantur, inspirata efficiuntur. Ita e. g. exordium et

epilogus libri Job inspirata sunt; quae Deus in libro dicit, utique divina sunt, quae Job et amici loquuntur, per se inspirata et necessario vera non sunt (quia a Job et ab ipso Deo reprobantur 38, 2. 39, 34. 42, 7.), nisi a Deo vel ab auctore libri vel alio loco inspirato approbentur.

e) *Nonnulla dicta* in S. Scriptura *relata manifeste falsa sunt*. E. g. verba Jacob, quibus se Esau esse mentitur (Gen. 27, 19.), calumniae pharisaeorum, verba Petri Christum negantis etc. De aliorum in Scriptura relatorum veritate merito et licite dubitatur. E. g. de verbis Achior ducis Ammonitarum, fata populi Israel narrantis (Judith, c. 5.), de multis sententiis amicorum Job (cc. 4. sqq.), de quibusdam dictis apostolorum et discipulorum ante effusionem Spiritus Sancti (Matth. 16, 22. 18, 21. Luc. 24, 18. sqq. conf. etiam Joan. 20, 13. sqq.), imo ut nonnullis placet, de sermone S. Stephani (Act. c. 7.).

3. *Sententia privata auctoris inspirati* in libro sacro *proposita etiam inspirata, et* (historice atque objective) *absolute vera est*. Nam praeterquam quod sententiae privatae a veritate suggesta saepe distingui nequeunt, inspiratio non potest privatam auctoris persuasionem tempore inspirationis non moderari. At sententia privata, quam auctor ante inspirationem se habuisse testatur, objective non est absolute vera; sed absolute verum est historice, auctorem revera in ea sententia fuisse.

Durante ergo inspiratione et scriptione libri sententia privata, quae non sit inspirata, non existit. Quod auctor dicit sibi in statu inspirato vel in praesenti persuasum esse, id pro inspirato habendum est. E. g. I. Cor. 7, 12. Si auctor dubitans loquitur, quanta est affirmatio in dubio, tanta saltem est certa veritas. Quum autem Scriptura numero indefinito vel rotundato utitur (e. g. Joan. 2, 6.), tunc numerus approximans ut talis verus est. Si Scriptura aliquid videri, apparere dicit, certum est speciem ejus rei revera adfuisse.

§ 74.

Concordia Scripturae et pugnae.

1. — Absoluta veracitas non tantum librorum sacrorum per se, verum etiam eorum cum alia veritate comparatorum propria est. Relativa haec Scripturarum veracitas vocatur *concordia seu harmonia*. Et quidem concordia est tum inter singulos S. Scripturae locos (*concordia interna*), tum inter Scripturam et scientias rationi, testimonio humano et experientiae innixas, nomi-

natim inter Scripturam et inter philosophiam, historiam atque scientiam naturae (*concordia externa*).

Concordiae S. Scripturae opponuntur *pugnae* (*antilogiae, enantioses*), quae dissensiones Scripturae significant. Loci de eadem re agentes, qui inter se non congruunt, seu loci paralleli non concordantes vocantur *loci pugnales*.

2. — Pugnarum multa distinguuntur genera.

a) *Interna et externa*. Interna est inter S. Scripturae locos, externa inter Scripturam et scientias. Pugna externa pro triplici cognitionis fonte — ratione, testimonio, experientia — trifaria est: *philosophica, historica et physica*, prout S. Scriptura rationi, fontibus historicis vel scientiis naturae repugnat vel repugnare dicitur.

b) *Vera et apparens* seu opinata. Pugna vera est affirmatio et negatio ejusdem praedicati vel affirmatio praedicatorum contrariorum de eodem subjecto eadem ratione spectato. Ad veram ergo pugnam requiritur, ut de eadem re, eadem ex parte spectata vere contraria dicantur. Apparens pugna (enantioptania) est, si aut non de eadem re, sed de alia simili, aut de eadem quidem re, sed alia parte ac ratione dicuntur contraria, aut vero de eadem re eadem ex parte, sed non vere contraria dicuntur.

Distinguitur adhuc c) pugna *essentialis et accidentalis*, prout circa rei essentialiam aut circa partes accidentales versatur. d) *Materialis* quae ad argumentum orationis, *formalis*, quae tantum ad verba pertinet. e) *Historicus, dogmaticus et propheticus* prout inter narrationes, inter doctrinas vel inter prophetiam et ejus implementationem intercedit.

3. — *Propositio I. Pugnae internae verae* (etiam accidentales, sive historicae, sive dogmaticae, sive prophetae) *in S. Scriptura sunt impossibiles, seu loci S. Scripturae inter se vere pugnare non possunt*. Auctor enim omnium librorum sacrorum, etiam partium eorum accidentalium, est unus idemque Deus omniscius, veracissimus et infallibilis. Omnis ergo pugna in Sacris Litteris non potest esse nisi *apparens*, quae earum veracitati minime obest.

Idem S. Patres docent. *S. Justinus M.* scribit: »Scripturas inter se pugnare nunquam audebo nec cogitare nec dicere. Sed si qua proponatur Scriptura, quae ejusmodi esse videatur, ego cum persuasum habeam, nullam Scripturam alteri contrariam esse, fatebor potius me non intelligere, quae dicuntur.« (C. Tryph. 65.)

Ex hoc principio sequitur *regula analogiae biblicae*: *Omnis loci biblici sensus fidei biblicae analogus sit, necesse est*. Non licet ergo ullum locum biblicum contra analogiam biblicam interpretari.

Analogia fidei biblicae est congruentia sensus alicujus loci cum sensu aliorum locorum, et cum summa doctrinae in Bibliis traditae. In ipsis scientiis humanis analogia praecipit, ut pars totae doctrinae convenienter exponatur. Regula analogiae biblicae est positiva et negativa. Tum praecipit, sensum fidei biblicae contrarium rejici, tum autem sensum, qui fidei biblicae solus convenit, acceptari.

Propositio II. Pugna externa vera — etiam accidentalis, sive historica, sive doctrinalis, sive prophetica — *inter S. Scripturam et certam veritatem impossibilis; inter Scripturam et scientiam vel opinionem humanam possibilis est, sed tunc scientiam vel opinionem erroris arguit*.

a) Veritas in omni re est una, et contraria simul vera esse non possunt. Auctor autem omnis veritatis est unus idemque Deus, qui et Scripturam et rationem sensusque hominibus dedit. Veritas ergo veritati, revelatio rationi et experientiae repugnare nequaquam potest.

Conc. Vaticanum ait: »Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest; cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere.« (Sess. III. Const. de fide cath. cap. 4.) Ad rem dicit etiam Summus Pontifex *Leo XIII.* in encycl. »Provid. Deus.«: »Eruditi fideliter teneant, Deum conditorem rectoremque rerum omnium, eundem esse Scripturarum auctorem; nihil propterea ex rerum natura, nihil ex historiae monumentis colligi posse, quod cum Scripturis revera pugnet.«

Pugna ergo inter Scripturam et certam veritatem non potest esse, nisi *apparens*, falsa Scripturae aut naturalis veritatis intellectione nixa, aut ex vitiosa earum collatione orta.

b) Veritas tamen *opinionum* ac plane *errorum* sine dubio repugnare potest; propterea etiam S. Scriptura nonnunquam scientiae humanae incertae atque erranti dissentit; videlicet systematibus philosophorum imaginatione magis quam ratione excogitatis, deinde relationibus historicis bona vel mala fide falsis, tum hypothesis scientiarum naturae. In hujusmodi pugnis veritas necessario pro parte S. Scripturae stat, et error non nisi a parte scientiae humanae possibilis est, — dummodo et Scriptura et scientia bene

intelligentur et recte inter se comparentur. Nam Scriptura revelationem divinam ac veritatem infallibilem continet; scientia autem humana errori obnoxia est, et teste experientia revera frequenter errat.

Quod igitur vere cum Scriptura pugnat, non potest esse veritas, sed tantum sententia humana objective falsa. Discrepantia ipsa scientiae alicujus humanae cum S. Scriptura certum scientiae errantis indicium est. (Consonantia tamen non est criterium veri.)

Ex his propositionibus sequitur

Regula: Omnis interpretatio, quae censet auctores sacros secum pugnare vel certae veritati repugnare, est falsa et rejicienda.

Inter opiniones autem humanas et libros profanos veras aliquando pugnas adesse, constat. Homines enim fallibiles et saepe fallaces sunt: modo errant, modo ex malo fonte hauriunt, nunc fontes parum ac male intelligunt, nunc ea, quae sciunt, vitiose et falso referunt.

Non invenies librum, cui tam multae pugnae, quam S. Scripturae objiciantur. Valde tamen erraret, qui multas illas criminationes dubiae fidei Scripturae indicia haberet. E contrario magnum Scripturae momentum summaque auctoritas tela adversariorum attrahit. Nisi Scriptura fidem et mores praeciperet, nisi symbolum apostolorum decalogum comitem haberet, profecto omnes auctoritatem Scripturae celebrarent.

§ 75.

Origo et compositio pugnarum internarum.

1. — Pugnae apparentes inter relationes diversorum auctorum, quin etiam inter diversos ejusdem operis locos saepeveniuntur, etiamsi auctores in scribendo fuerint diligentissimi atque fidelissimi. Diversi enim homines, imo iidem homines alio tempore pro sua indole, affectu et consilio easdem res alio modo cogitant et referunt, quamvis licet nemo eorum et unquam falsum dicat. Id maxime fit in narrationibus succinctis, ex una parte spectatis et ad finem didacticum scriptis. Unus auctor vel locus hujus partis mentionem facit, alter alius; unus rei essentiam, alter adjuncta narrat; unus accurate, alter negligentius loquitur. Si decem testes diligentissimi ac veracissimi aliquid narrent, eorum relationes certe in multis rebus minutis inter se discrepant et specie pugnant; nisi forte unus testium alterum in narrandi modo

imitatus sit. Nimia consensus certe suspecta esset et signum conducti.

Quum pugnae inter S. Scripturae locos, propter inspirationem et communem divinum auctorem aliae quam apparentes esse non possint, interpretis Christiani est earum originem causamque reperire easque componere seu veras pugnas non esse demonstrare. *Fontes* ergo pugnarum apparentium *detegendi et obstruendi* sunt. Praeter versionem vitiosam — quam interpretis eruditus negligere et textum originale consulere debet — fontes pugnarum internarum apparentium sequentes esse possunt: *textus corruptus, mala alterutrius loci interpretatio et notarum pugnae absentia.*¹

2. — Diversae illae pugnae hac ratione *componuntur*.

1. Si *textus* loci pugnantis *corruptus* vel saltem corruptionis suspectus est, imprimis corrigendus et in integrum restituendus. Textus enim corruptus non est textus sacer, de quo agitur. Ita pugnae numerorum potissimum tolluntur. Numeri enim transcribendo facillime mutantur, et praecipue olim, quum (testibus nummis Machabaeorum) non vocabulis, sed litteris scribebantur, saepissime corrupti sunt, ut etiam lectiones variantes probant.

De annis aetatis patriarcharum magna est inter textum Hebraicum, Samaritanum et versionem Alexandrinam dissensio; unde apparet, quantam mutationem numeri jam ante Christum subierint. — Si numeri in libris Regum et Chronicorum aliquando inter se discrepant, etiamsi in integrum restitui et componi non possint: haec pugna non nisi apprens habenda est. — I. Reg. 13, 1. Saul dicitur *filius unius anni* fuisse, quum regnare coepisset, et duobus annis regnasse; quamquam adultus (21 annos natus) regnum capessivit, et quadraginta (vel 42) annos regnavit (Act. 13, 21. Joseph. Fl. Ant. VI. 14.). Voces: viginti et quadraginta signis litterarum scriptae, manifeste interciderunt. — Locus III. Reg. 4, 26., ubi rex Salomo 40,000 praesepiorum equorum currilium habuisse dicitur, ex II. Paral. 9, 25. (in Hebr.), ubi tantum

¹ Jam S. Augustinus similes pugnarum fontes monstravit. »Si aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam.« (Ep. 82, 3. ad Hier.) Et alibi idem S. Doctor dicit: »Ibi si quid velut absurdum moverit, non licet dicere: auctor hujus libri non tenuit veritatem; sed aut codex mendosus est, aut interpretis erravit, aut tu non intelligis.« (C. Faust. II. 2.)